



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano  
accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Nevhsii, 1687**

Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36005**

Mox sedet, & cooperio capite dicit.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego te, auctoritate ipsius, & sanctissimi Domini nostri Papæ, (vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis superioris N.) mihi commissâ absolvō te à vinculo excommunicationis, in quam incuristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum, (vel talem causam N.) & restituo te communioni & unitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ In nomine Patris **X** & Filij & Spiritus sancti.

Quodsi Sacerdoti nulla sit à superiori prescripta forma, nec sibi mandatum, ut in forma ecclesiæ communī, vel consueta absolvat, tunc nihilominus pro rei gravitate prædictam cœremoniā & preces adhibeat: At vero, si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ, (si à Papa sit deligatus, alias Reverendissimi Domini Episcopi, vel talis superioris) mihi concessâ, absolvō te &c. ut supra.

In foro autem interiori confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat, juxta formam communem, supra, præscriptam, in absolutione Sacramentali.

### Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum.

**S**i quis excommunicatus ex hac vita discedens dederit signum contitionis, ne ecclesiasticâ careat sepultura, sed Ecclesiæ suffragijs, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvi potest, hoc modo.

Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur, & absolvatur, ut infra, deinde absolutum in loco Sacro sepeliatur.

Si vero fuerit sepultum in loco profano, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem in loco sacro sepelietur: sed si commodè exhumari non potest, locus sepulturæ verberetur, postea absolvatur.

Quodsi in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum autem corpus sive sepulturam verberat, Sacerdos dicat antiph. Exultabunt Domino ossa humiliata. Ps. Miserere mei Deus &c. quo finito absolvatur dicendo Auctoritate mihi concessâ, ego te absolvō à vinculo excommunicationis, quam incuristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum, & restituo te communioni fidelium.

In nomine Patris **X** & Filij, & Spiritus sancti Amen. Deinde dicetur psalm. De profundis. in fine Requiem æternam dona ei Domine **R.** Et lux perpetua &c.

Kyrie eleison Christe eleison Kyrie eleison Pater noster. **V.** Et ne nos inducas intentionem. **R.** Sed libera nos à malo. **V.** à porta inferi **R.** Erue Domine animam ejus. Requiescat in pace. **R.** Amen.

**V.** Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus &c.  
Dominus vobis cum **R.** & cum spiritu tuo.

### Oremus.

**D**A quæsumus Domine, animæ famuli tui, quem excommunicationis sententia constringerat, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

### De modo absolvendi à suspensione, vel interdicto, extra vel intra Sacramentalem confessionem.

**S**i Sacerdoti sit commissa facultas, absolvendi aliquem à suspensione, vel interdicto, quamvis nulla verba sint præcipue determinata, ut poterit hac formula.

Poenitens dicat Confiteor &c. Sac. Misereatur &c. Indulgentiam &c.

Deinde.

Auctoritate mihi à N. traditâ, ego te absolvō à vinculo suspensionis (vel interdicti) quam (vel quod) propter tale factum (vel causam) incuristi (vel incurrisse